Fragmentarium

Gaii Crispi Salustii liber Iugurtini incipit.

Falso queritur de natura sua genus humanum, quod inbecilla etas atque brevis eui potius forte quam virtute regatur. Nam contra reputando, neque maius aliud neque prestabilius invenies, magisque nature industriam hominum quam vim aut tempus deesse. Sed dux atque imperator vite mortalium animus est, qui ubi ad gloriam virtutis via grassatur, abunde pollens potensque et clarus est, neque fortuna eget. Quippe que probitatem, industriam, aliasque bonas artes neque dare neque eripere cuiquam potest. Sin captus pravis cupidinibus ad inertiam et voluptates corporis pessumdatus est, perniciosa libidine paulisper usus, ubi per socordiam vires tempus etas ingenium defluxere, nature infirmitas accusatur. Suam quisque culpam auctores ad negocia transferunt. Quod si hominibus bonarum rerum tanta cura esset, quanto studio aliena ac nichil profutura multoque etiam periculosa petunt, neque regerentur a casibus magis quam regerent casus, et eo magnitudinis procederent ut pro mortalibus gloria eterni fierent. Nam uti genus hominum compositum ex corpore et anima est, ita res cuncte studiaque omnia nostra corporis alia, alia animi naturam sequuntur. Igitur preclara facies, magne divitie, adhoc vis corporis et alia omnia huiuscemodi brevi dilabuntur. At ingenii egregia facinora sicut anima inmortalia sunt. Postremo corporis et fortune bonorum ut initium, sic finis est. Omniaque orta occidunt et aucta senescunt. Animus incorruptus eternus, rector humani generis agit atque habet cuncta, neque ipse habetur. Quo magis pravitas eorum admiranda est, qui dediti corporis gaudiis per luxum et ignaviam etatem agunt. Ceterum ingenium quo neque melius neque amplius aliud in natura mortalium est, incultu atque socordia torpescere sinunt, cum presertim tam multe variaeque sint artes, quibus summa claritudo paratur. Verum ex his magistratus et imperia, postremo omnis cura rerum publicarum minime mihi hac tempestate cupienda videntur, quoniam neque virtuti honos datur, neque illi quibus per fraudem uis fuit uti

A. D. 1380. — Salluste, Bellum Iugurthinum.

Milan, Biblioteca Ambrosiana, L. 68, parte superiore.

Cogitanti mihi sepenumero et memoria vetera repetenti perbeati fuisse quinte frater illi videri solent qui in optima re p. cum et honoribus et rerum gestarum gloria florerent eum vite cursum tenere potuerunt ut vel in negotio sine periculo vel in otio cum dignitate esse possent. Ac fuit tempus illud cum mihi quoque initium requiescendi atque animum ad utriusque nostrum preclara studia referendi fore iustum et prope ab omnibus concessum esse arbitrarer si infinitus forensium rerum labor et ambitionis occupatio decursu honorum etiam etatis flexu constitisset. Quam spem cogitationum et consiliorum meorum cum graves communium temporum tum varii nostri casus fefellerunt. Nam qui locus quietis et tranquillitatis plenissimus fore videbatur in eo maxime moles molestiarum et turbulentissime tempestates extiterunt. Neque vero nobis cupientibus atque exoptantibus fructus otii datus est ad eas artes quibus a pueris dediti fuimus celebrandas interque nos recolendas. Nam prima etate incidimus in ipsam perturbationem disciplinae veteris et consulatu devenimus in medium rerum omnium certamen atque discrimen, et hoc tempus omne post consulatum obiecimus his fluctibus qui per nos a communi peste depulsi in nosmetipsos redundarent. Sed tamen in his vel asperitatibus rerum vel angustiis temporis obsequar studiis nostris et quantum mihi vel fraus inimicorum vel causae amicorum vel res publica tribuet otii ad scribendum potissimum conferam. Tibi vero frater neque hortanti deero neque roganti, nam neque auctoritate quisquam apud me plus te valere potest neque voluntate,

A. D. 1422. — Cicéron, De oratore.

Rome, Biblioteca Vaticana, Ottoboniana lat. 2057, fol. 1.

License: public_domain – Various Locations, Generic Collection, , Planche 109 – Franz Steffens, La Paléographie Latine
(https://fragmentarium.ms/view/page/F-2fh6/7408/59676)